



Ioan. Oecolampadii Sermo de sacramento eucharistiae.

<https://hdl.handle.net/1874/431200>

IOAN. OE=
 COLAMPADII SER
 MO DE SACRAMEN-
 TO BVCHARI.
 STIÆ.



IO. CECOLAMPADIUS BERNARDO

Adelmanno de Adelmanfelden, Cano

nico Augustensi / Patrono &

amico suo Salutem

in Christo.

MOre patrio redeuntem te ex thermis excipere cupiēs donario aliquo, quia in promptu nihil aliud est quod offeram, uellem sermonem hunc ne munusculi quidem nomie dignum muneris loco habere digneris. Cuius argumentum si tibi aris det, fer, ut tuo patrocinio illustratus, alijs quoq; comunicetur. Aut saltem gratulatiōis officium, animo meo non deesse tibi persuade. Saluum & fratrem tuū opto
Vale ex Monasterio diui Altonis.

IOANNIS OECOLAMPADII SER-
mo de uenerabili Sacramento
Eucharistiæ.



Voniam semper in iuge sacrificiū / & in spi-
ritale conuiuīū / hodie autē in singulare etiā
festiuæ celebritatis gaudiū profert nobis
thesaurus ille omniū longe preciosissi-
mus, & modis oībus incōparabilis sacrosanctum in-
quam corpus domini nostri Ihesu Christi. Ideo sedu-
lo nos omnē opam adhibere decet, charissimi, ne Sa-
lomonis parabola in nos tanq̄ insipiētes dicat. Quid
profunt opes stulto, cui nō tātum mentis ac industrig
ut eas possideat. Vel illud e triuio. Quid porcis cum
amaracino: imo euangelice. Quid porcis cum marga-
ritis: aut ne ab Apostolo (quod auditu durius) argua-
mur tanquam rei corporis & sanguinis Ihesu Christi.
Cauendū nobis plane, hinc em̄ est, quare periclitetur
pereātq; inter nos nō pauci, iterū teste apostolo / nam
ait. Propter hoc inter uos multi imbecilles et inualidi,
& dormiunt multi. Nec mirum. Est em̄ mysterium, et
arcanissimū, multis ad opertum uelaminib⁹, & quē-
uis humanæ mentis captū transcendens, maleq; pur-
gatis pectoribus perniciousale antidotum. Nunc nobis
de eo (ut præsens festiuitas / & uestra desyderia requi-
runt) sermo erit, uos attentis aurib. & animis fauete.

¶ Igitur mea imo piorū eruditorumq; oīm sen-
tentia, cum in oībus alijs quæ uel docuit, uel instituit
legislator noster Ihesus Christus, tū in hoc mysterio,

ualde operæ precium fuerit, diligenter in memoria repe-
tere, omniq; studio amplexari, nō quod primū nobis
obuium, & quod plaricq; solent, sed qđ Christus ipse
spectarit, & a nobis expectat maxime. Vereor aut̄ (ut
in rebus pene om̄ib. est ordo præposterus) qđ in hoc
sacro uix a paucis uerus scopus attingat̄. Etenim cum
tria hic spectanda sunt. Primū sacramentaliū symbolo-
rum panis, & uini usus legitimus. Dein debitus præ-
senti Christo cultus. Postremū mystica incorporatio /
& corporis mystici per panem / uerumq; Christi cor-
pus cōmendati cura / cunq; in his sua cuiq; debet ob-
seruantia, quottusquisq; est, qui nō in aliquo horū pec-
cet. Inuenies em̄ perquā multos, qui p̄ijs opinionib; /
studijs / & ceremonijs haud parum occupantur, quoti-
es pius ille ritus celebratur, at nō quanta oportet fide
Christo charitate ue pximo afficiuntur. Inuenies item
aliquos, qui in sacramentorū usū uidentur capiti satis,
religiose ac pie adherere, membra uero ne agnoscere
quidem, hoc est, totos adorationi Christi deditos, fra-
tres autē negligere, & nōnunq; odio insectari, & pro-
pterea Christum nō tam adorare, quā irridere. Vides
præposterum ordinem. uides sinceram charitatē tan-
ti mysterij scopum nō curari. Nos de tribus illis ordi-
ne / & quod ad rem pertinet dicemus. Primū de sacra-
mentali obseruatiōe / quid scilicet de pane / uinoq; sen-
tiendum, & qua puritate ad mensam hāc accedendū.

¶ Itaq; hic insigni quadam & columbina simplici-
tate nobis opus est, ita ut a curiositate quam maxime
alieni simus, omnipotentē uerbi dei, & nō imbecilli-

tati mentis nostræ fidem adhibentes. Curiositas nostra
semper deo ingrata, & ubiq; periculosa, ita hic pe-
riculosissima. Debiles oculos excæcat sol inspectus,
Scrutatorem maiestatis pessundat excellens claritas.
Frustra laboramus addere cubitū intellectui ad men-
suram a deo cōcessam. Mens nostra fœderis arca est,
nō integro, sed dimidio cubito absoluta. Terminos
quos transgredi non licet etiā animorū montibus &
collibus deus præscripsit. Siue rationis cacumine exal-
tati simus ut colles, siue superexaltati ut montes, extra
præstitutos limites expaciari nō licet. Quocirca sim-
pliciter & absq; hæsitatione credamus adesse & conti-
neri sub hoc pane uerum corpus, sub uino antē langu-
nem. Sufficiat nobis tantillū noticiæ, quā tum ex sacris
lris haurimus. Alioquin in ministerium fidei intelle-
ctus noster mancipetur. Quomō is qui ad dexterā pa-
tris residet super cœlos, sit & in altarijs uere præsens,
quia nobis impossibile cognitu, ne turbemur, ne sim⁹
frustra anxij. Tenet om̄ipotens sedem maiestatis suæ
in coelis, & hic mysterijs & fidei nostræ non deest.
Et uultus mei lineamenta a me non transeunt, inte-
gra tamen & in multis relucent speculis. Qua ratione
Basilius mysteriū hoc *ἀπειρουρον* hoc est exemplar sci-
te uocat. Cæterum panis uiniq; substantia an esse desi-
nat (per se subsistentibus accidentib. uel per quantita-
tem) an in corpus Christi transeat & conuertatur, an
Christum ita contineat, ut simul adhuc quod uidetur
esse, sit, diciq; debeat panis, nihil ad nos, de eo litigent
ociosæ scholæ. Quid si ignoramus, quomodo in car-

nem Christi panis hic cōuertatur, cū nō capimus quo
modo panis cōmunis quem domi solemus edere, nā
seat in carnē nostrā? Quid si obtusiores sensus nostri
& stupent, si negetur aboleri substantia, nec detur acci
dentibus absq; corpe locus & subsistentia, sed manē
te panis substantia dicatur uere adesse corpus Christi.
Quid inquā mirū, siquidem et ignoramus, quomodo
saluis uirginalib, claustris æditus sit puellus Christus
Aut quomodo obseratis ianuis cū resurrexisset ad di
scipulos sit ingressus. Nihil inquā ad nos, utut hæc fie
ri possint. De sacramentis rogasse p incredulitatē quo
modo fieri possint, quā dura respōsa mereat, satis nos
admonēt exempla. Nicodemi nō capiētis regeneratio
nis mysteriū, & Iudæorū corrixantiū, quomodo hic
nobis potest dare carnem suā ad uescendū. Nobis an
gelus satis faciat, qui sciscitanti Mariæ ait. Spiritus san
ctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit
tibi. Nam & hic constant oīa efficacia uirtutis dei, qui
dixit & facta sunt, qui & quæcunq; uoluit fecit tam in
coelo q̄ in terra. Ne sit ergo locus curiositati. Esto em̄
panis uinūq; sit maxime, nos hic nihil minus q̄ panē
& uinū querimus. Non hic petimus, qd̄ cibet & pa
scat corpus, sed quod reficiat et saginet aīm. Non hic
curæ nobis uisibilia, sed inuisibilia. Quod adoramus,
qd̄ esurimus, quod oculis mentis & fide spectamus,
nō minus uidet Homerus quispiā oculis captus, quā
Lynceus. Insipientū fuerit hinc inde, ab ara ad arā dis
cursare et tumultuari. Panis ille post cōsecrationē siue
sit siue nō sit triticeus nobis certe non est triticeus, sed

coelestis, siue fermentatus sit, siue in fermentatus nobis certe *2^o v. op* Pascha est Christus. Preterimus hic oē quod altario minister intulit, & in eo solo moramur & heremus, quod coelitus adest, & spiritus sanctus benedixit & sanctificauit. Qualiscunq; est, nobis duntaxat figuræ & signi uices gerens, uerum Christi p̄sentis corpus uelamine quodā obtegit. Nō dico figurā, & typū tantū, ut manipulū primitiarū Abel, ut oblatonem Melkizedek, ut agnū paschalem / māna / panes propositiōis / subcinericiū Helix, & cæteras ueteris testamenti figuras. Absit id blasphemix, ut tantum tribuamus umbræ, quantum luci, & ueritati, & figuris illis, quantum huic sacrosancto mysterio. Panis em̄ hic nobis nō rātam signat, sed est corpus ipsum domini. Habemus in hoc fidē Christo ueritati primariæ, quæ fallere nequit & dixit. Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum. Carnem itaq; & sanguinē Christi adesse & contineri simpliciter fatemur, quo pacto autem non exploramus, siquidem nec necessarium, nec utile. Non cuius Ozę prophanis manibus arcam attingere, neq; quibusuis propius fumigabundū montem accedere datum.

¶ Reliquū / qđ religioso silētio & admiratiōe mens suspicit ac uenerat, sanctis / reuerētibusq; adoratiōib⁹ tū internis / tū externis gestiētes excipiāt affectus. Afferamus ad hæc sacra animū castimonia purum & corpus omnis immūdiæ expers. Ritus ille moribus cōpositis, & ornatu qui christianam decet modestiam celebret. Siquidē benedicta sanctificataq; oīa nō nisi

sanctē & religiose tractanda, quāto magis id quod a
domino consecratum, & ita consecratum, ut ipsemet q
consecrauit assit & colatur. Vnde si quid indigne ad-
missum, proculdubio id omne in cōtempitū & iniuriā
Christi cedit. Quia ppter nō abs te patres in eos qui mi-
nus rite operant, pœnas decreuerūt. Quisquis em̄ in
his tantis supinus & incurius fuerit, certū eū in nullo
inquā opere bonę frugis futurę. At q̄ Christus de ce-
remōioso ritu nihil demādauit. nimirū sublimiora
nobis cōmendans, quorū cōpatione usus huius sacra-
menti, et reuerētia ei exhibita, nostraq; studia in prepa-
randis animis p̄ confessionē / ieiunia atq; alia / inter mi-
nuta cōputent. Nō q̄ hæc aspernanda, sed q̄ nulla ra-
tione intermittenda sint maiora. Quare Origenes in
Matth. Assiduitatem cōmunicationis inter decimas
cymini menthæ / et aneti quæ offeruntur a Pharisæis
enumerat. Maiora enim opa a quib. nunq; uacandū,
sunt iudiciū, misericordia & fides. Hinc etiam / q̄ non
uniformis ritus / nec eedē ceremonię in ecclesijs om̄i-
bus sunt, multaq; annis posteriorib. immutata sunt, &
immutant. Olim adhuc uiuo sancto Hieronymo in
priuatis domib. manducabāt corpus domini. Hodie
piaculū / si q̄s nō in tēplo, aut ab altario tolleret, nisi in-
firmitas necessitasue alia secus cogat. Olim post cenā
cōmunicabant, & presertim in die Cenæ dñi, id q̄ &
tpe Chartagenensis Concilij adhuc obseruatū. Hodie
nō licet benehabentib. nisi ieiunos cœlestē hunc panē
capere. Olim quotidianū erat, hodie uix anni uersariū
est. Magnū p̄fecto emortuæ charitatis argumentū, &

horrendę ingratitudinis indicium. Proh dolor magna
ex parte huius mali sacerdotes authores feruntur, &
quorum erat ad frequentandã hãc mensam sanctam,
pijs exhortationib. cõuiuas uocare, illi ipsi repulsa cõ-
tristant auidos, immodiceq; desyderantes, arcentq;
immeretes, & canonicis poenis nullis interdictos, rur-
susq; pascualibus dieb. perditissimos homines una cū
sanctis indiscriminatim excipiunt, sed ferat quisq; suū
iudicium. Olim non auro/argenteo libabantur hæc
mysteria. Dicebat enim Petrus. Aurum & argentū nō
est mihi. Quin & Exuperius Tholosanus Episcopus,
& martyr corpus Christi in uimineo canistro, & san-
guinem in calicibus uitreis ægotis afferebat. Hodie
ppe primaria cura est, ut uasa preciosa sint & pura, ani-
morū nō eadem cura. Pro pascendis famelicis & redie-
mēdis captiuis, distrahebant olim si quæ erant p̄ciosa
hodie pauperę inedia crescūt ecclesiæ opes, & in nul-
los minus q̄ quorū sunt dispartiant. Olim sub utraq;
specie cõmunicabāt, q̄ mos haud *difficile* rephendē, *facile*
dus, adhuc apud nationes aliquas durat. Hodie apud
nos Laici sub pane duntaxat tanti mysterij participes
sunt. Quid: quod sub una tantum panis specie ponti-
ficum permissu apud Septentrionales quosdam sacra
fieri iradunt. Patet nimirū ex his pietatis summã neq;
in sacrificijs assiduīs, neq; reuerētia quæ tantis myste-
rijs iure optimo impēdit, constitutã, sed fide in Chri-
stum, charitateq; in proximū. Misericordiam aut uolo,
nō sacrificiū. Ab his igit ad ea q̄ magis necessaria sunt
& q̄ scđo loco dicturos nos polliciti sum⁹, trãseamus.

Inteamur itaq; propius, quid nam illud est tam
augustū/tam reuerendū/tā inæstimati precij/qđ
intra inuolucū hoc delitescit, ne suo cultu fraude-
tur. Est plane res summa, cœloq; ac terræ admirabilis
Adest em̄ margaritū illud, p̄ quo emendo, facultates
nostræ om̄es distrahendę sunt. Adest pixidicula gra-
tiæ, ueritatisc; oīs plenitudine referta. Adest fructus
oīm nobilissimus, nō e terra maledicta, sed benedicta
uirgine Maria prognatus. Adest de q̄ Dauid ait. Erit
placentula frumenti in terra in capite montiū. Vel ut
nostri legunt. Erit firmamentū in terra in summis mō-
tium, superextolleť super libanū fructus eius. Adest
panis uiuus & uiuificus, panis qui de cœlo descendit
qui nos in cœlos transfert, quiq; cœlestes nos facit.
Adest hostiarum hostia, holocaustoma holocaustoma-
tum, fragrans suauitatis odorem redolentiss. deo sup̄
oīa beneplacitū, quo p̄ pct̄is nr̄is satifit, quo deo gra-
ta quæcunq; grata. Et quid illud sit diximus, iterūq;
dicimus. Verū est corpus, uerūq; sanguis dñi nostri
Ihesu Christi, corpus illud qđ in Maria uirgine a uer-
bo in unitatē p̄sonæ assumptum/natum/passum/mor-
tuumq; p̄ nobis, iterūq; resurrectionis ac ascensionis
triumpho glorificatū. Quid maius dici cogitariue po-
test? Corpus Christi adest. Adest cōsequēter & Chri-
stus ipse deus & homo, hunc adoramus, huic ge-
nua flectimus, hunc desyderamus. Hunc nos lauda-
mus in tetr̄is, quem cœlestes exercitus laudant in cœ-
lis, et quem illi in claritate contemplantur, eum nos
fide intuemur. Adest illis reuelata, nobis uero obue-

lata facie. Pascit illos, & nos eodem pane, nec interest
inter illos & nos, nisi quod illi cōsummata beatitudi-
ne fruuntur, nos hoc pignore eiusdē beatitudinis se-
curi reddimur. Vtriq; Christo incorporamur mandu-
cando, utriq; in spiritum domini transimus, ne sit alia
nostra, alia domini uolūtas, nos hic Christiformes gra-
tia, illi uero alibi gloria, ut nos hic uirtutib; ita illi alibi
premijs Christo configurantur. Veruntamen interim
differtur nobis felicitas, ut iuste post hanc cū alijs eā
participemus. Vera ambrosia, uerum nectar est, agni-
tum deum/certa indubitataq; fide intra mētis nostrae
uiscera uti cibum trañcere. Quis nobis hunc panem
semper dispensabit? Quis dabit, ut de carnibus ei⁹ sem-
per saturemur? Faceat pusillanimitas. Crede ait Au-
gustinus, & manducaſti. Fides præſentem nobis facit
deum. Fides deo ipſo nos pascit. Neq; enim tam ſtri-
ctim accipiendum eſt celebre illud Auguſtini dictū,
uel caput illud ſextum Euāgelij Ioannis, quali tunc ſo-
lum Chriſtus credendus ſit uere præſens & manduca-
bilis, cum ſacratum illum panem/uidemus uel ad eſſe
cognoſcimus, ſed quocunq; tempore, quocunq; loco
credimus, Iheſum dei/Mariæq; filium/ſaluatorem or-
bis/uerè ſemper manducamus. Similis & diuī Chry-
ſoſtomi in cōmentarijs ſuper epiſtolā ad hebręos ſen-
tentia eſt dicentis. Participant ne qui ſemel anno, an q
ſæpius, an qui rarius. Sane nec ij qui ſemel anno, neq;
qui ſæpius. neq; q raro. Sed q munda cōſcientia, q pu-
ro corde, q; uita irreprehenſibilis iſti ſemp accedūt,
q uero nō ſunt eiꝰſmodi, neq; ſemel. Hoc beatiffimū

est cōuitium, a quo nullus nos excludet pontifex, sed
sola incredulitas eijcit. Nobis iure summū est solaciū,
semper habitare in nobis deum, quando eius sermōes
obtemperātes audimus feliciter nobiscū agit, q̄ semp
filios dei fieri licet, quando in Christum creditur. Por
ro ubi sub sacramēto panis caro Christi mirabiliter &
ὑπερφυσ affuerit (tamenli sacramentaria spirituali eliy
tatione quouis modo sit inferior) spirituale conuiuū
aliquanto spectatius efficitur. Quomodo em̄ non ma
gnū adesse speciosum illum præ filijs hominum, &
unigenitū a patre plenum gratia & ueritate: lam cum
quotidie dictitamus, si in seculū quo Christus in lu
dæa uisus est, incidissemus, nihil nō fuisse nos pericli
turos, ne uultus sui humanissimo aspectu fraudati
essemus. Age præsto est, quid cunctamur: cur non hu
miliamur: cur nō adoramus: cur nō auxilium & mi
sericordiā eius imploramus: An dolemus, q̄ non cor
poreis oculis intuemur: Nihil hinc iacturæ, immo cō
modi aliquid accrescit. Fide uidemus, felicius adde &
certius quam ludæi oculis carnalib. Qui nō uidimus
& credimus beatiore prædicamur, quam qui uiderūt
& crediderunt, ut ne de his loquamur, qui uiderūt &
in incredulitate perstiterunt. Miseri em̄ illi sunt. Tria
hominū genera p̄censeri possunt, qui Christū nostrū
feliciter uel spectarunt, uel spectant. Felices *αυτοῖσι*
illi q̄ suis oculis spectarūt, Regibus / Prophetisq̄ mul
tis denegatū. Feliciores constanti fide uerbo carni fa
cto *ἀπειροψυτοι* in inuisibilia mentales oculos figūt. Ve
re deniq̄ beati, & consumatissime felicitatis Regem

in decore suo gloriosiore angelis semper irreuerberatis, & infatigabilibus oculis contemplant & laudant. Nostra conditio mediocris est, deterius habemus coelitis, melius autem istis qui corpore sequuti Christum. Illi nos vincunt gloria, hi uero a nobis fide, modo afflit fides, & tantum non torpidiores illis sumus, acceptaque occasione ne cedamus officijs. Audimus quanto studio, quanto gaudio ad puellum qui commodum in Bethlehem natus erat e uicinis pascuis pastores, & a remoto oriente Magi properabant, & qua alacritate, qua animorum corporumque contentione, quibus difficultatibus, per uicos & agros, & in solitudinem ipsam, & primo diluculo, docentem miraculaque facientem sequebantur turbae, & odore fragrantissimorum odorum tracti currebant, occurrerant, praecedebant, subsequerantur, stipabant, urgebant pedibus accidebant, auscultabant, precabantur alij pro se, alij pro suis, aduehebantur, alij grabatis, alij per tectum sub motis tegulis ante pedes ponebant, inuocabant alij, inuitare alij reuererantur. Sed & nos tantus amor tantumque tenet Christi desiderium. Est & nobiscum **Immanuel**, nobiscum deus. Faciet etiam nobiscum mirabilia. Cur tam immisericordes nobis & iniqui sumus, & non etiam ipsi spiritualibus obsequijs salutem querimus? cur non inuisibili interim propter imbecillitatem nostram appropiamus? An dubitamus corpus suum esse, quod ipse suo ore corpus suum testatus est? An allegorice agnoscere liquabimus, & (quod nephas) ossa Regis Idumeorum comburemus? Hospitales simus Christo, & saepe ei conuiuium apparemus, saepe eum in

uitemus & reficiamus, Hospitalis, magnificeq; dapli-
lis erit & Chrus. Inuitat nos & clamat Venite ad me
omnes qui laboratis, mittit seruos suos, cogit & inter-
minationibus ut apud se diuertamus. Apparat conui-
uium, & se nobis uitulum saginatū imolat, reficit ne li-
tiamus esuriamusq; in æternū Quomodo abscedem⁹
a dño? Verba vitę æternę habet. Impudentes simus cū
Magdalena, ruamus ad pedes eius. rigemus lacrymis
osculemur, ungamus pietate. Contingamus uel uestē
cū hæmorroissa, exhibitq; uirtus ab eo. Tactu quo tan-
gimus fide, uel tangimur misericordia sua, curabimur
Tactu mundabit lepram, tactu illuminabit oculos, ta-
ctu nullum non morbū curabit, nullum nō dæmoniū
exiget, nullum nō a mortuis excitabit. Contingamus
dominū fide, & continget nos misericordia. Sitit dñs
fidem nostram, ut nos potet fonte uitę. Esurit iusticiā
nostram, ut pascat fructibus meritorū suorum suis ela-
boratorum manibus. Iusticiam nostram fides prestat,
audacter dico, iustificatio nostra fides est. Fides no-
stra utcunq; se alia habeāt, uel efficax, uel inefficax, uel
utile, uel inutile hoc mysterium facit. Est em̄ peculiari-
ter, & a domino dictum mysteriū fidei. Absq; arrabo-
ne diffidebas curari uulnera, mundari immūda, remit-
ti peccata. O ineffabilem clementiā, corpus suum in
arrabonem dat, ut animo tollatur omnis hęsitantia &
incredulitas. Nō refert quam letalis, quam multiplex
quā inueteratus sit morbus. Feteas licet, arescas & pu-
trescas, crede et uiues ppter hūc panē. Ita fidei diuitijs
beatiores esse possum⁹ ijs quib. cū in terris cōuersatus

est Christus. Nam ut aliquid fidei nostræ accederet,
nō decederet, ex oculis nostris sese abstulit, & ad pa-
trem a se dicit. Sed si utroq; excidimus, & nec corporis
nec animi oculis eū uidemus, illis miseriore iure cen-
semur. Porro nobis enitendū, ut mens cottidie purga-
tior tam proficiat in fide, quo nō solum plus his uideat,
sed & ad angelorū / & cœlitū gloriam aliquatenus
assurgat, a qua tm̄ absum⁹, quantū a digna cognitiōe
Christi dei deficimus. Nā si uelamē hoc abductū fue-
rit, hoc est fidei imperfecta cognitio in cōsummatā tran-
sierit dei contemplationē / erimus & nos pares ange-
lis. Quare semp & hora p̄sertim qua mysterijs tantis
uacamus, adnitēdum nobis, ut uideat nō modo Chri-
stus e cœlis ad nos descendere, sed & nos uideamur
in cœlos ad ip̄m ascendere, & inter angelicos choros
uersantes, eū ardētius amare, & beatiorib. hymnis ma-
gnificare. Tū clarius sese eius lux offert, p̄mittiturq;
spectare delicias & claritatē corpis nobilissimi, qđ ut
hic deformatū a deo, ne q̄s in eo decor esset, tāq; mul-
ta indigna, mortēq; turpissimā p̄pessum, ita alibi glo-
ria beatitudineq; summa dotatū. Et cū iucundissimū
sit illud spectare, cōcedit etiā ut agnoscat sapiētissima
illi⁹ aīa, in q̄ nō adhuc sunt recōditi, sed apiunt & mō-
strantur thesauri sciētiae sapientiaeq; dei. Perueniturq;
per eam tanq; portā ac uīā, ad ueritatē & uitā, imo ista
huic uitę cōgruunt, q̄ gradatim ad sublimiora introdu-
cimur. Alibi sūma q̄q; primū obtur⁹ in se raptos a deo
illustrāt et btōs reddūt, ut oīs deinceps magni nostrī
regis gloria in conspicuo sit. Exhibet se creaturis suis

contuēdum absq̄ ænigmatis & nebulis, quod de deo
hactenus nesciuimus magis q̄ sciuimus, uel coniecta
ri sumus. Fons ille omnis essentia, ipsamet essentia/
scatebra omnis uitæ/ipsamet uita/origo gaudiorū om-
nium, ac totius felicitatis, ipsamet felicitas iucundissi-
ma, & ipsamet omniū bonorū abundātia abundantis-
sima, ipsamet pax securissima, incōcussa ueritas, æquil-
sima iusticia/sulgentissima sapientia/iustissima clemē-
tia/purissima sanctitas/ipsamet bonitas/charitas/&
quicquid summe dicit, uel cogitatur, imo incōparabi-
liter plus quam dici cogitariue potest. Hic uerus ange-
lorum est panis, hoc manna q̄ Angelis & beatis sem-
per aperte ministrat Christus, nobis uero idē prebet
absconditū, quod tamen pro fidei incremento magis
atq̄ magis detegit, & p̄ crebra desyderiorū ingemina-
tione/maiori suauitate pectora nostra afficit. Quid hic
rependemus domino: quo obsequio uult coli: quam
in tanta re fert legem: Etiam hic solita domini redolet
benignitas. Semper sui simillimus est mitissimus Ihes-
us. Nihil asperū iubet, nihil onerosum iniungit, non
adigit ad multorū dierū inediam, non ad itinerū diffi-
cultates, non ad certorū psalmoz modulationem, nō
ad anxiam peccatorū enumerationē, neq̄ ad alia quæ
onerare absterrereq̄ possent hominem. In meam ait
cōmemorationē hoc facite. Quid leuius: quid iustius:
quid mitius potuisset precipi: Qui ne cogitare quidē
de re aliqua dignatur, quid tandem factururus est: Cui
amici recordatio molesta, quid tandē leue: Nihil per-
inde familiare amicis atq̄ mutua memoria. Et ualent

amici ea parte memoria plurimū, præsertim si eos cō-
ciliarint insignitę raritatis uirtutes ac beneficia, qualia
sunt omnia Christi in nos. Leuissima gratitudinis pars
est memoria, eamq; & nō aliam a nobis exigit Chri-
stus. Verū si id ministerij quantulūcunq; est, fideliter
pendimus, nihil officij nostri desiderari poterit, nullā
detrectabimus puinciā, nulla ex parte desides argue-
mur, uelimus, nolimus ut ita loquar, amabim⁹, gratias
habebimus, referemus, agemus, ultro totos nos offe-
remus, nostra sponte pericula subibimus, gaudebim⁹
in pressuris & tribulatiōibus, ad mortem & supplicia
profiliemus. Tam præclarus / tam inebrians est calix
domini. In memoria mei hæc facietis ait Christus, iucū-
da memoratu sunt beneficia Christi, sed memorabili-
or Christus ipse. Beneficijs multū gratiæ decederet, si
aliunde quam a Christo acciperētur, Christus autem
citra beneficia omnia nedum ista, nō solum memoria,
sed amore honoreq; omni dignus est, etiam si nihil bo-
nitatis (ut impossibile interim ponamus) cōmunica-
ret creaturis easq; malis insectaretur. Idcirco primum
Christi memores simus, cuius eminentia dignitateq;
fit, ut & sua beneficia sint cōmendatiora, præsertim cū
ea tanta esse uoluerit, ut & ipse per ea nobis charior fie-
ret, & quorū recordatione sui quoq; uigeret memoria.
Et nullum plane ex eis obliuione transmitten dū foret,
tum quod per se magna sunt, tum qđ a maximo pro-
ficiscuntur. At qui obliuiosi sumus, maxime rebus for-
tunatis. Christi beneficiorumq; eius nō recordamur.
Verū infatigabilis Christi bonitas etiā in hoc nobis

consuluit. Innumeris em̄ beneficijs inauditum aliud
adhiēns, monumēta mirabiliū suor̄ exhibuit. Nam
carnem suā in cibū & sanguinē in potum dedit. Vnde
ingratorum maior confusio, piorū uero fructus esset
uberior. Porro in tanto beneficiorū aceruo, mortis me-
moriā potissimū celebriorē esse uoluit, qđ & adamāti
na pectora edomāda satis roboris habeat, aliaq; precī
pu aut in carnatiōis / resurrectiōis / ascensionisq; bñficia
secū trahat. Ita & Paulus ait. Quotiescūq; māducabī-
tis panē hūc, & calicē bibetis, mortē dñi annūciabitis
donec ueniat. Insup ita instituit, ne qđ omitteret q̄ me-
moria iuuareē. Tēpus delegit coenā ultimā, uitę mor-
tisq; collimitiū. Appellat nouū testamētū, ut itē mor-
tis memoria q̄ ratū facit testamētū sancti° / inuiolabili
usq; foret. Ad hęc uerbis signisq; cōmendat, nā passio-
ni suę panis uiniq; symbola congruūt. Nō cōficiē pa-
nis, nisi cōmolitis granis, & farina aqua mixta & igni
cocta. Nec uinū nisi cōtulis uuis cōfluit, q̄ sane & chrī
et eor̄ q̄ chrī sunt figurā & typū gerūt. Obscuriora fo-
rent hęc symbola, sed uerbis chrī ipse arcanū detegit
Nā benedicēs panē aiebat. Accipite & manducate ex
eo oēs. Hoc est corpus meū, quod p uobis tradet. Si-
militer & accepto calice. Hic est sanguis meus, q̄ p uo-
bis & multis effundet in remissionē pctōr̄. Quare ef-
fusionis traditionisq; meminī. nimir̄ ut passiois me-
moriā anīs nostris pfunde inscriberet. Hoc sibi uolūt
& sacrificiorū nostror̄ ritus ac oblationes. Nihil em̄
aliud sunt q̄ sacrificij illius unici qđ semel in cruce ob-
latum recordatiōes. Vna est hostia, & eadem p tot sc̄

cula & loca, quia non est nisi unius hostiæ recordatio.
Atq; hæc recordatio nostra est gratiarū actio. Cū em̄
nihil aliud præstare possumus, saltem hoc qđ præcipi
tur & concedit̄ p̄stamus, ut p̄ infinitis bñficijs, uel ali-
quā beneficiorū memoriā ut grati rependam⁹. Vnde
& mysterio nomen inditū ē *υχαριστία* qđ interpretatur
pprie gratiarū actio. Vides oīa eo recidere, neqd̄ no-
bis antiqui⁹ sit & cōmendati⁹ Christi bñficiorūq; ei⁹
cōmemoratiōe. Proinde solliciti sim⁹, nec testamenti
uerba e mēte sinam⁹ effluere. Qđ si quēadmodū Mo-
ses mādauit de mādatis (ut sint in corde & narrent̄ fi-
lijs, & meditemur ea sedētes in domib. & ambulātes
in itinerib. dormiētes atq; consurgētes, & ligemus ea
quali signū in manu, sintq; ac moueantur inter oculos
nostros, scribāturq; in limine & ostijs domus) Ita &
nos beneficia in cordib. ueluti in marmore sculpta, &
inobliterabilia seruamus, ne utiquam ociosa erit eorū
memoria. Exardescet enim in meditatione ignis. Et in
hoc uno monet Timotheum Paulus. Memor ait esto
resurrexisse Ihesum a mortuis. Coget em̄ amare Chri-
stum, & tam efflictim, ut ne ipsa quidem mors tam
uiolenta sit, ut amor noster, & cum ab omnibus auel-
li possimus, a charitate dei non poterimus. Hinc in-
dicibilis illa promptitudo ad pia studia. Hinc flagran-
tissimum desyderium gratiarum actionis. Hinc sua-
ues lacrymę dulcibusq; lacrymis fluentia gaudia. Hinc
pectus seruore sancto incalescit, generosæq; uoces in-
trepida edūt labia. Paratum cor meū deus paratū cor
meum. Fiat o dñe uolūtas tua, dñe quid uis ut faciam.

Quid retribuam dño pro omnibus quę retribuit mihi.
Hinc nō desipiunt, sed et contēpta sunt affectui terre-
na, sed & semetipsum abnegat homo, et deo se totum
offert in holocaustū, nihil pristinę uoluntatis seruare
uult, nihil nō fert quod ferendū, nihil nō agit quod fa-
ciendū. Tum suaue erit iugum, & onus domini leue.
Pro nihilo ducit castigare corpus, dispartiri ī egenos
patrimoniū, pro malo bonū reddere, inimicos bene-
ficijs demulcere, in contemptu gaudere, pro ueritatis
amore, & confessiōe fidei mortē subire. Deniq; sic to-
tus copulatur Christo, & unus fit spiritus cum eo. Ita
sanguis Christi pudicas sponfarū genas ornat, ut ait
Agnes, ita caro Christi thorosa facit pugilū suorum
brachia, tum a corde Christi succus & uigor in uenas
animę ingreditur, hylariscq; eius spiritus medullā hu-
mectat, & ossa consequēter solidat. Tū maciem men-
tium caro, ariditatem sanguis emendat. Saginat, dila-
tat, in crassat caro, irrigat, lætificat, inebriat sanguis. Tū
massam quam ante terrestris Adę fermentū adultera-
uerat, azymus coelestis Adę panis purificat & uiuifi-
cat, nō in corruptibilem hanc, sed in infinitorū seculo-
rum uitam. Et in tantis lauiticjs/mirum quę hominū
ingratitude/quis stupor/quę malicia/ut uelut a nau-
seamentis ahhorreant, & prope cogendi sunt ad hanc
mensam, a qua repelli nō minus metuumdum fuerit,
quam e Paradiso ipso eijci. Qui nam sum? quęue do-
mus patrū nostrorū? ut tam clementer familiariterq;
nobiscum agat deus, & suis conuiujs adhibeat, nosq;
superbę Vasthi imitari contumaciam malumus, quā

illius experiri mansuetudinē, & quibusuis siliquis & angelorum pane satiari querimus.

Sed ad tertium progrediat sermo. Restat igitur id quod minime omnium negligere fas est, ad quod etiam (cū institueret hoc sacramentū) spectasse Christum credimus. Nam quālibet magna sunt quæ diximus sancta symbola pie sancteq; tractare, & beneficia Christi/Christumq; ipsum a memoria non abscedere, nondum tanto mysterio factum est satis. Est em̄ quod p̄ tempore magis amplexandū/nempe cura mystici corpis Christi. Nemo hoc dogma quo non est alterum Christianius quasi nouū explodat. Ip̄m em̄ typis suis panis & uinum ipsūq; corpus Christi docent. Nam ut Paulus ait. Vnus panis & unum corpus multi sumus om̄es qui de uno pane & uno calice participamus. Vt em̄ e plurib. granis unus panis conficitur, & e multis membris uerum Christi corpus cōstitutum est, ita e multis fidelib. unus mysticus panis unūq; corpus Christi mysticū, cuius ipsemet est caput constat. Non inficiamur (quod quis obijceret forte) Mariam delegisse optimā partem, & beatiorē actiua contemplatiuā. Sensit hoc & Paulus, cupiēs dissolui & esse cum Christo, p̄nunciabatq; lōge melius esse. Verumtamen p̄pter p̄fectum nostrum elegit manere in carne. Coelesti gloria nostri causa aliquātisper abesse boni consulit Paulus, nos grauatim feremus si nostro/nescio em̄ an recte dicam Christiano ocio/pauli sper fratrū causa destituti fuerimus. Non est hoc Chri

stum cultu suo fraudare, qui misericordiam sacrificio pre-
fert. Nunquam tam prope accumbimus Christo, nunquam
tam religiose Christum colimus, quam si spiritalis oculi
iacuram facimus, hoc consilio/ut Christi nomine/my-
stico suo corpori fratribusque seruiamus. Ut ut minimam
e suis tractauerimus, uel humane, uel crudeliter acce-
ptum habebit, iudicabitque Christus perinde, atque erga
ipsum sic nos gesserimus. Quapropter non est, quod que-
ramur inuisibilem Christum, obuius est famelicus, ob-
uius est Christus, quare Christum non pascimus: oc-
currit nudus quispiam, occurrit Christus, quare Chri-
stum non uestimus: Decumbit in lectulo aeger, deten-
tus est in custodia captiuus, aberrat aliquis fratrum,
cur ipsum contemnimus Christum: Toties nobis ob-
uius est Christus, & non curatur. Vide num tota uita
nostra sit hypocrisis, & pietatis simulatio. Veram pie-
tatem & sanctimoniam Charitas & misericordia de-
clarant. At quae charitas in Christum/si eum pro quo
Christus non detrectauit mori, Cuius mens deitatis
imagine insignita est, agnoscere dedignamur: Sanctif-
simam illam carnem suam, quam de uirgine assumpse-
rat, uirgis/flagellisque caedi ac crucefigi permisit Chri-
stus, ut mysticum corpus seruaret. Cum iam ad oriren-
tur eum milites ut caperent, ait. Si me queritis, sinite hos
abire. Ne fingamus succensiturum Christum si pie potius
negociemur quam occidemur, & gratius affemur quam sileamur,
& sanctius comedamus quam ieiunemus. De hoc ritu
ait Christus. In memoriam mei facite, at non ita leuiter
de proximis precipit. Iubet inimicos amari, beneficisque

demereri. Nihil ergo his qui domestici fidei ueracę
corporis sui mēbra denegare licet. Hoc est quod do-
cuit lauans singulorum pedes, & tradens egregiū il-
lum de charitate sermonem. Hoc unum mandatū de-
dit, ut diligamus inuicem, sicut ipse dilexit nos. Dile-
xit autem nos usq; in mortem, quid ergo nos debem⁹
fratribus, pro quib. ex p̄cepto exēploq; Christi mor-
tem subire tenemur. Et ut Cypriani sententia est, Quo-
ties calicem hunc bibimus, semper paratos esse decet
ad effundendū pro fratribus sanguinem. Hoc est my-
sterium pacis, quod inter precandum toties dat & ac-
cipit sacerdos, nō quam mundus sectatur pacem, sed
quā suis reliquit Christus. ne ullis scilicet fraudib. po-
tentijs / felicibus aduersis a charitate, quæ uel in deum
uel in proximum auellamur, mādaturmę illud prima-
rium preuaricemur. Cuius apostoli & qui dato spiritu
sancto nascentis ecclesiæ primi ciues scripti sunt, pro-
be fuerunt memores cum perdurarent unanimiter in
templo, & frangerent per singulas domos panem, es-
setq; multitudinis credentiū unum cor, & una anima.
Vnde illa cōcordia, unde illa unanimitas, non eos ter-
reni lucri spes cōciliabat, qui reliquerant om̄ia, et opes
ut stercora contemnebant, non periculorū metus co-
gebat eos, qui gaudebāt dignos se haberi, qui pro no-
mine Ihesu periclitarentur, non sanguinis uinculum
copulabat, qui ppter Christum nesciebant patrem &
matrem, fratres & sorores, & cętera huiusmodi nom̄ia
in terris, sed tantæ necessitudinis author erat Christus
& om̄ia inter se membra cohærere faciebat. Itaq; ne

ſciebat ſimulationem, dolos, arrogãtiam, ambitionẽ,
non inuidebant, non contendebant, non obtrectabãt,
nocebant nulli, proderant om̃ibus. Nec mirum nihil
differebat honora ministerio, priuata erant cõia, deli-
ciarũ nulla cura erat, ad charitatis legẽ agebant om̃ia,
in commune ſtudebant omnes. Pari ardore flagrabat
ſpiritus om̃m, ut indies magis atq; magis credentium
numerus augetur, docebant hi, prophetabãt illi, uar-
rijs linguis loquebantur quidam, curabant alij ægros,
aut miracula opabantur, miniſtrabant cæteri, & nemo
non aliquid in mediũ cõferebat, nemo quẽ ſua que-
rebat. Etenim quemadmodũ prouidẽtia conditi mu-
tuis auxilijs indigemus, uni datę opes, negatũ robur,
alteri conſeſſe uires, negatę diuitiæ. Hi ualidi ſunt ut
ſeruiant illi induſtriũt dominantur, & paucis / nemo
ſibi ſolus ſufficit, nemo ſibi ſoli natus, ita & nemo ſibi
ſoli renatus, nemoq; non uiciffim alienis opus habet
adiumentis. Hæc illa ſanctorum eſt cõmunio de qua
in ſymbolo. Hæc illa ^{σὺν αἵματι} ſanctiffima, qua q̃cunq;
ſiue apud Garamantes / ſiue Britannos agunt, ſiue Ro-
mam ſciant, ſiue neſciant, ſiue accepti / ſiue exoſi ſint ho-
minibus, ſi adhærent fide Chriſto, & uniti ſunt capi-
ti, uniti ſunt & nobis, modo mēbra ſimus Chriſti. Iam
unus omnium eſt Chriſtus, unum caput, unus baptiſ-
mus, una fides, unum ſacrificium, una menſa, una here-
ditas, una ad quam tendimus ciuitas, cur non & mino-
ra una omnium? cur non cõmunicamus ſequunda &
aduerſa, læta & triſtia? cur non iungemus etiam uires,
opes, ingenia, conſilia, atq; a deo omnia? Si non perſo-

nata est charitas nostra, quibus non inuidemus coelestia, nec terrenam felicitatem inuidebimus, & quibus ex animo precamur prospera, eos etiam facultatibus nostris adiutabimus. Vana uana sunt, quæ multi dicunt optare se osoribus suis animorum salutem, uelle tamen illos temporaria aliqua calamitate infortunari. Profecto isti quicumque fuerint, uel quanta sint futura gaudia non expendunt satis, uel impudenter mentiuntur. Nesci liuor inuidere minora, impartiri maiora. Alienum etiam est a germana charitate, communicare summa, denegare (si locus postulet) infima. Corinthios acriter perstringit Apostolus, quod cum maxima utendum æqualitate, tum immisericiordes erant in pauperes, alijque famem conquerentibus, mero distendebantur, & æstuabant alij. Qua duricia in tantum mysterium haud mediocriter committebant. Vera sanctimonia charitate probatur dignæ manducationis certissimum argumentum, si post eam ad mansuetudinem fueris facilius ad tolerandas aliorum morositates longanimior, ad seruiendum etiam inimicis promptior & alacrior. Contra indubitatum habeto male cessurum tibi hoc conuiuium, si adhuc tabescis odio, suspiciones alis, amaritudinem retines, deditus es obrectationibus, uacas litibus, alienarum infirmitatum impatiens es, fraterni obsequii tedet. Esto interim in repetenda dominicæ passionis memoria, mirificam quandam internam suauitatem degustaris, & largissimum dulcium lacrymarum fontem effuderis, & Franciscanæ ecstaseos quiddam te passum existimes, nihil melior eris, nisi charitate dilateris. Pro

bent nunc semetiplos, qui redeuntes e templis quasi
iustificati, surrecto supercilio despiciuntur humiles, atro-
ci uultu inuadunt miseros, superbis/minacibusq; uer-
bis ignauiam & imposturam mendicis & egenis op-
probrant. Viderint Concionatores & Doctores qui
persuadent incomparabiliter fructuosius multiplicare
altaria, subinde a plurimis frequentari mysteria, redire
iterum atq; iterum ad offerendum, instituire prouen-
tuosas anniuersarias memorias & uigilias, q̄ pascere
famelicos, uestire nudos, redimere captiuos, & alias
facere elemosynas. O auariciam, O sacrilegia, O dolos
O commenta. Proh. Quid non mortalia pectora cogit
auri sacra fames? Audiant hæc symmista æquis,
audiant iniquis auribus. oro autem, ut audiant æquise-
simis. Misericordia plus ualeat quam sacrificiū, etiam
ad secundarios fructus, quos nostra commendatiōe
absentes & defuncti percipiunt. Nec est quod prætes-
xant Iscariotem obmurmurantem (potuisse ungerum
quo Christus a Maria delibutus, trecentis argenteis ue-
nundari, & dari pauperibus) reprobatum fuisse. Atqui
non modo excusabilis erat Iudas, sed & commendā-
dus, si quod simulabat ore, sensisset pectore, sed euan-
gelista teste fur erat, non patronus pauperum. Cæterū
sacrifici nostri tam patrocinantur Christo, quam Iu-
das pauperibus, si non & fide uincuntur. Nolo id plu-
ribus eloqui, sed qd' obticeo, constanter eorū testantur
luxus & ignauia, orbisq; ferme totus ingemiscit atque
adeo, ut uix aliud intantum. Verū ut interim dissimu-
lentur sæculi mores, pro pauperibus Christus nō con-

tra pauperes dixit. Pauperes semper habetis uobiscum,
me autem non semper. Etenim quasi dispensaturus cum
semetipso, ut celebrior fieret mortis suae memoria, se-
mel non semper pauperibus suis se preferri uoluit. Quod
si dixisset, me habebitis semper (ut postea dixit. Pro uo-
biscum usque in consummationem seculi) potuisset con-
iectura sumi, oblectari eum huiusmodi impedire. Verum
ait, me non habetis semper. Nunc factum mulieris bo-
ni consulite, posthac non conuersabor uobiscum, post-
hac nec minimum quoddam dispendium per me pau-
peres sentient. Neque hoc illis obfuerit, quos tanto stu-
dio hactenus uobis commendauit. Illis quantum uolue-
ritis benefacite. Fiet id non modo bona pace mea, sed
approbabo, & quasi mihi benefactum foret, habebo.
Quid si dixisset Christus diuini. Vade & uende om-
nia quae habes, & da sacerdotibus & monachis, ac me
sequere. Quid si in die iudicij rogaturus esset? Quot
conduxisti sacerdotes? conducuntur enim. Quantum num-
morum altaribus intulisti? Quantae nunc nostrae for-
tunae essent? At ne uerbo quidem sacerdotum meminit. Lu-
bet autem omnia pauperibus dari, & in die furoris sui repro-
brabit, istos qui se non pauperum in famelicis. Atqui inge-
niosula est philargyria, quae suo non licet, nunc pauperum,
nunc Christi nomine corradit. Similiter impertinens est hoc
quod uere dictum sacrificio Christi nihil pretiosius, nullumque
sublimius meriti fatemur & gratulamur. At non statim
consectaneum semper in liturgiis quae elemosynis plus mere-
ri, causas mitto dicere. Id plane non congruit curandum,
quod populus magis inducat ad multiplicandas missas.

quam frequentandas elemosynas. Qui amore recore
dationeque Christi pascunt esurientes, nihilo infelicio
res & plerumque nec meritis inferiores ijs, qui alta
rio seruiunt. Pro bent etiam hic seiplos morum cen
sores, quæ illa sua equitas, in expiabile haberi, si quis
sacerdotum incuriosior quid ceremoniarum intermi
serit, aut guttulam effuderit, aut laicus forte manu caliy
cem contigerit. Tenue uero erratum, si fastu/libidi
ne/liuore/incredulitateque laboras conspurcet nome
& altare dei. Audiant & reuerentur omnes qui qua
uis paruula occasione rapta, a cæteris fidelibus digre
diuntur, & se ab alienant, ut maximo reipub. christia
ne detrimento prohdolor contingit. Sectus est orbis,
& prouinciæ plerumque in sectas uarias, & dissident, uel
ob ritus uarios, uel ob dogmata quædam in sacris lite
ris, nec probata, nec improbata satis. Hæc Regio in
fermentato, illa in azymo consecrat, hæc uulgo sub
utraq, illa sub altera specie cõmunicat. Hæc in obser
uando Pascha Iudeorum consuetudini magis accedit,
illa ab ea longius recedit. Non sunt hæc uel similia tan
ti, ut propter ea maceria inter nos erigatur. Qui uera
charitate flagrant, dissimulabunt hæc potius si emen
dare nequeunt, quam ut propterea a quoquam qui fi
de & charitate Christo adhæret se separari patiantur.
Pertimescant hic & contremiscant transfugæ & apo
statae nostri, qui portionem suam ponunt cum adulte
ris & hereticis, potantescque uinum erroris de uinea So
domæ, ac comedentes panem luctuosum, transeunt
in corpus mysticum sui capitis/principis tenebrarum.

Et sub ouilla interim pelle tecti / sanctæ quoq; mensæ
accedunt, ut in simplicem gregem magis grassentur.
Porro nos et angelica ueritate pasti nihil in operibus
nostris confidentes, & in solo Christo spem & beati-
tudinem nostram oëm statuētes, nihil charitate illius
ducamus sanctius, per quam cum ipso & suis omnib;
nobis bene conueniat, ut cum ipsum sub hoc admira-
bili sacramento, uel qualitercunq; spiritus pia fide coli-
mus, & dilectionem suam erga omnes habemus, me-
reamur tandem cum omnibus beatis / cœlestis men-
sæ participes fieri, configuratiq; gloriæ claritatis suæ
contemplemur aperte & clare, nō solum lucidissimū
illud Christi corpus uerum & mysticum, sed & bea-
tissimam eius animam / & maxime super benedictam
deitatem, quæ illi cum patre & spiritu sancto una est &
equalis, cuius sit omnis gloria & honor. Amen.

In Officina Sigismūdi Grim̄ / & Marci Vuyr-
sung Conciuiū Augusten̄ sinē sor-
titus est libellus is. Anno
1521. die 20. Iunij.

174

The first thing that I observed
 was the great number of
 people that were present
 at the time of the
 celebration. The
 music was very
 loud and the
 dancing was
 very lively. I
 saw many people
 who were very
 happy and
 enjoyed the
 occasion. The
 food was also
 very good and
 the drinks were
 very refreshing.
 I was very
 glad to be
 there and to
 see everyone
 so happy. The
 celebration was
 a very success-
 ful one and
 everyone was
 very satisfied
 with the result.
 I was very
 glad to be
 there and to
 see everyone
 so happy. The
 celebration was
 a very success-
 ful one and
 everyone was
 very satisfied
 with the result.

ACTA

REVERENDI

CONGREGATIONIS

PROVINCIAE

PARISIENSIS

1717

